



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn


### Maximi Tyrii Dissertationes

Maximus <Tyrius>

Lipsiae, 1774

Lectori Docto Et Aeqvo S. P. D. Io. Iacobvs Reiske.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51003](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51003)



LECTORIDECTO ET AEQVO

S. P. D.

IO. IACOBVS REISKE.

**N**ouae huic Lipsiensi Maximi Tyrii editioni qui sumtus erogauit, Georgius, a quo ad eam praefandi prouincia mihi demandata est, nuper ad me veniens, vix prouincia Plutarchea defunctum, folia Maximi, quotquot prelo tum absoluta erant, quorum antehac nihil videram, monstrabat, penesque me relinquebat, rogans, vt mendarum typographicarum si quid inter perlegendum obseruarem, id annotarem (id quod feci; omnes illae mendae in calce voluminis secundi indicabuntur;) et animaduersionum si quid sub stilum veniret, id conscriberem, huiusque voluminis calci addi paterer. Quamquam et corpus et animus mihi tum languebat, valetudinis diuturnitate lucubrationumque assiduitate fracto, prorsusque ad studia literarum nauitebat atque hebebat, defatigatus in ergastulo Plutarcheo, in quo per totam hyemem, veluti catenae illigatus, fuisset exercitus; praetereaque Maximi lectione iam minus me delectari sentiebam, senex factus, quam olim, florente adhuc aetate; quapropter eius testem et praeconem me



ferre vix audebam, cuius neque dictionem, neque disputandi modum probarem; gessi tamen morem voluntati hominis, de graeca literatura bene mereri conantis, et cui persuasum esset, a nominis mei praedicio ad libellos suos decoris aliquid atque commendationis esse accessurum. Excussi ergo schedas, in quibus, ante hos viginti annos exaratis, mea quae tum fuerant, ad Maximum Tyrium visa deposueram; quae retractavi, et siquid insuper in mentem veniret, addidi, inuita Minerva, obtuso, si vnquam fuit, ingenio atque a meditationis contentione abhorrente. Quare veniam rogo lectores opellae meae censoresque, quotquot erunt, hortorque, vt mirari nolint, neque fastidire deformitatem schediasmatis tumultuarii. Quamquam inuitus facio, vt summorum virorum H. Stephani, Danielis Heinsii, Io. Dauisii, Ieremiae Marklandi, testimoniis obloquar, ipseque meo diffido iudicio, parumque personam eius, qui Maximum ornare et tollere suo praeconio iussus sit, decet eundem censoria nota premere; facere tamen non possum, quo minus prae me feram, haud raro me, lectioni Maximi intentum, vix sustinuisse taedium subrepens, cum affectatae dictionis, in Homeri atque Platonis iactatione ita inepte insolescentis, vt tirunculi nostrates cum magistrallis suis mirifice sibi placent in oculis Tullianis conferendis, et exemplis conterendis ex antiquitate reperitis odiosi fiunt; tum conclusiuncularum tam futilium, tam contortarum atque intricatarum, tam denique miserarum, vt nescias infantiam Sophistae, ad pueros se iactantis, risune



rifine an commiferatione profequaris; quem vbi  
 diu moleftas per ambages fis perfecutus, et cunicu-  
 los eius perreptando fatigatus, cernas tandem fo-  
 phifticam in foueam te incidiffe. Argumenta cum  
 tractanda sibi fumiffet grauiffima quaeque atque  
 fanctiffima, tum maieftatem eorum difputationis  
 leuitate, et paene dixerim, puerilitate faepe numero  
 eleuat atque corrumpit. Seduli in ornando et  
 comendo Maximo fuerunt tot numero viri clarif-  
 fim. Dio Chryfoftomus, Maximo tum compa-  
 randus, cum fas erit, cum ludimagiftro fenato-  
 rem, philofophiae succis pafum, eloquentiae  
 blandae et popularis veneribus nitentem, ciuili  
 fapientia ad vsum vitae inftitutum, denique cum  
 profefforia lingua vocem natiuam et fimplicem fa-  
 pientiae atque veritatis conferre; hic Dio, fecun-  
 dum Morellum, (me miferum, fecundum Morel-  
 lum, quod hominis portentum!) contemptus, in-  
 comtus iacet, neque potuit nifi vni Valesio placere!  
 o fortis iniquitatem! o coecitatem feculi! Vtinam  
 vernacule faltem Dionem legeremus, poft tot nugas  
 graeculorum vernacula dictione recoctas, poft  
 Maximum ipfum Damnio dignum vifum, qui po-  
 pello noftrati et mulierculis in manus daretur;  
 Damnio, viro de literis graecis latinisque fine con-  
 trouerfia praeclare merito, verum odio publico  
 oppreffo, quod odium ipfe sibi culpa fua contraxit,  
 non imprudens, fed audacior, quam par erat.  
 Berolini prodiit ab eo confcripta vernacula M. T.  
 interpretatio anno 1764. quae vt fatis effe poteft iis,  
 fi quibus fatis fit vniuerfe Maximi fententias tenere



modumque disputandi noscitare, ita parum videtur eorum studia subleuatura, si quos iuuet graecam Maximi orationem critica cum diligentia peruestigare atque elimare. Optabam licuisse mihi, quam operam Dionysio atque Plutarcho nauavi, ut exempla typographis ad recudendum in manus danda prius perlustrarem, graecaque verba ad sententiam meam castigarem atque constituerem, eandem Maximo quoque operam nauare. Sed otium meum hanc diligentiam haud tulit. In confesso est Dauisium, passim locorum, nouitatis affectatione, et pruritu quodam ingenii, se iactare in singularitate exempli gestientis, quasi plus cernat, quam datum fuisset maioribus cernere, prauas codicum suorum lectiones melioribus vetustarum lectionum loco depulsis suffecisse. Quae labes, fuerat quidem fas, ut a Marklando, aut si rusticatio illum impediabat, a Wardo saltem, penes quem gubernatio Londinensis editionis erat, tolleretur. Aegerrime itaque fero, superesse in hac altera Dauisiana, aliis non contemnendis ornamentis insigni, Maximi Tyrii editione locos haud paucos, editoris nasum intempestiue sese efferentem prodentes. Etiam hoc molestum est, tironibus certe, in hac recensione, quod Dauisius latinam versionem, lectionibus ab ipso repudiatis accommodatam, qualis erat, talem reliquit, non ad lectiones ab ipso praelatas dedit reformatam. Sed has quidem labes, quisquis erit secundum nos, proximus Maximi editor, is tollere curabit. Nullae meae in hac fuerunt aliae partes, (neque erunt aliae in proximo



proximo quoque volumine secundo) quam vt foliis iam a prelo absolutis omnibus, quibus ego excudendis non interfui, notularum aliquid, et hoc pauxillum praefatiunculae appingerem. Reliqua omnia per alios gesta, ego praestare non teneor. O si deus tandem aliquando in libertatem vindicare velit rem nostram librariam, hominum tyrannide, non vnus generis, sed plurium, penes nos oppressam. Scripsi Lipsiae d. 31. Martii 1774.